Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

.LII.

vestigium de ea relinquitur. Item sunt similes sa-
pule que exterius pulchra solidaque videtur sed
intus vacua inveniuntur. nec ulla stabilitate ful-
citur. Sed ad modicum ventum concutitur igne
modico inflammatur totaque consumuntur. Ita ut
extra nec utiles cineres relinquantur. Vesica
dum est vento plena aliquid esse videtur quia mul-
tum vento inflante extenditur sed puncto acu vel
stilo protinus clamando resolvitur et omni pul-
chritudine denudatur. Spuma marina mul-
tum quidem erigitur sed subito evanescit. dum vento
percutitur. Ros nix et pruina in aspectu sunt val-
de pulchra. Sed nulla interius stabilitate firma
unde modico deficiunt calore contacta. Multum alte
nubes attolluntur. Sed calore ac ventis flantibus
dissipantur et in pluviam minutam vel grandinem
caloris virtute resolvuntur. Multum quidem mare eri-
gitur sed ad modicam ac vilem arenam eius omnis fluc-
tus infringitur. Arundo exterius pulchra videtur
Sed intus ab omni pondere vacua invenitur et cum
modici venti impulsu confringitur vel plicatur
Fenum ad tempus breve arescit virescit. Sed calore
mox solis arescit nec in perpetuum revivisat.
Sunt et superbi summitatibus arborum similes que sepe
ventis exagitantur et confringuntur. Superbi
enim more plantarum in tempore estatis virescunt flori-
bus foliis et fructibus adornantur. Sed adve-
niente frigore omnino pallescunt. Floribus nullis
ornantur foliis spoliantur nec postea fructuum
vestigium ullum relinquitur. Verum ab hanc re-
gulam ille arbores sunt excepte que multo vis-
coso et pingui intus habundat humore qualis est
in humilibus invenire. Superbi etiam sunt per omnia
floribus similes in hac vita multum apparentes
et redolentes. Sed cito deficientes. Nam videmus
in floribus qui sunt multi odoris dulcis saporis